



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monumenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713**

VII. Nihil Paderbornae eorum deesse, quae ad Academiae splendorem & commoditatem requiruntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29975**

Regum studiis est cohonestata? Referam versus expertes illos quidem artis, sed tamen qui veteris memoriae de Paderborna sententiam sine fuce nobis exponunt. Sic enim ille ingressus sermonem de B. Heimeradi cum Meinwerco Antistite congressu:

*Est locus egregius Patherbrunnon vocitatus:*

*Is quoque Regalis Sedes & Pontificalis.*

Quod si quis ergo praeterea percunctabitur, quid ita, tot aliis postpositis urbibus, Paderborna publico in Westphalia gymnasio decoretur? is cognoscat Westphalis, qui praeter ceteris populis sint appetentes humanitatis & sapientiae, ejus possessionem rem prorsus regiam videri, atque ideo propriam ei sedem ac domicilium, non alibi decuisse, quam in *Regia Westphalia Urbe* collocari.

#### CAPUT VII.

*Nihil Paderbornae eorum deesse, quae ad Academiae splendorem & commoditatem requiruntur.*

*Sangall. l. 1.  
cap. 1. de  
gestis Caroli  
M.*

**E**T sane si faciem & ingenium loci intuebimur, fatendum nobis erit, nihil vel à priscis illis Caesaribus ornatus ad habitationis suae dignitatem, vel abs Te, Princeps Illustrissime, felicius ad commoditatem studiosae juventutis reperiri potuisse. Ac primi quidem illi viri sapientes, qui Carolo Magno Caesare à Britannia delati in Galliam, Parisiensis Academiae quasi parentes fuerunt, cum venalem se Sapientiam afferre professi, interrogati essent, quibus rebus ad rem tantam opus esset, responderunt: opportunis locis, animis ingeniosis, victu, atque amictu. Atque ingenia quidem, quorum universa Westphalia in primis est ferax, Paderbornae deesse non possunt, praesertim cum eo loco sit sita, ut ad eam ex omni Westphaliae regione faciles sint accessus. De copia verò rerum quibus vita sustinetur, quae potest cum ea Westphaliae pars contendere? Cum enim Westphalia  
omnis

omnis, quâ quidem ad Rhenum & Oceanum vergit, in latif-  
 simos expansâ campos, ob crebras paludes pastioni sit aptior  
 quam segeti: quâ verò Visurgim, & Chattorum juga respi-  
 cit, pinguiore sit glebâ, præterquam ubi saltibus & silvis hor-  
 rescit; quis non videt opes utriusque terræ eò loci confluere,  
 ubi sita est Paderborna? Hic enim & planities paullatim  
 quasi emerfa ex uligine ad declivia montium assurgit; & mon-  
 tes in amœnos colles lenesque clivos desinentes, ad campo-  
 rum se valliumque facilitatem inclinant; & vastitas illa silva-  
 rum in crebra nemora, & virentes dissecta lucos, agris, hor-  
 tis, arboretis plurimum relinquit soli. Itaque nusquam alibi  
 latiora pascua, nusquam uberiora arva, nusquam villæ cul-  
 tiores. Quid enim foecundius eo omni agro, qui ad exorien-  
 tem solem, & meridiem editior, latèque diffusus, oppidis,  
 vicisque creberrimis colitur? Quid benignius illis ad occa-  
 sum, & septentrionem jacentibus campis, quos è montibus,  
 quibus hæc urbs utrimque in theatri propè speciem cingi-  
 tur, plurimi & limpidiissimi irrigant rivi? In tanta terræ bo-  
 nitate, calique clementia quæ unquam macello, quæ grana-  
 rio, quæ penuri sit egestas metuenda? Quando enim vel hos  
 campos pascua, vel hos agros frumenta, vel hos clivos arbo-  
 res, hortique sefellerunt? Quid ego de Cereali nostro Bac-  
 cho dicam? cui & frugem hæc pinguiissima arva, & liquorem  
 nostri beatissimi fontes suppeditant. Quis illum gustans, Cæ-  
 cubum aut Falernum desiderat? Habet enim majorem  
 quàm vinum sitis levandæ facultatem, neque fere quicquam  
 de calefaciendi stomachi, & adjuvandarum virium virtute  
 concedit. Quòd si, ut est apud Strabonem, Gymnasio libe-  
 ralium artium, quod erat Tharsi in Cilicia, Cydnus amnis,  
 cujus saluberrima aqua ferebatur, plurimum celebritatis at-  
 tulit, nihilne habebit ad illustrandam Paderbornæ Acade-  
 miam, hæc salubrium fontium copia, quibus ambigere pos-  
 sis, plusne palati & valetudinis, an aspectus & voluptatis  
 gratiâ delecteris? Neque enim sentio quæ possit species esse  
 jucundior, quàm trium fontium in media Urbe, ex eodem

Lib. 14.  
Geogr.

colle, modico intervallo exorientium, tantamque subitò vim aquarum erumpentium, ut, non modicis effusi rivis, antè in unum alveum visendo sanè agmine confluant, compluresque molas frumentarias priùs versent, quàm se effundant è mœnibus. quanta amœnitas singulorum cùm seorsim fluunt? quanta omnium cùm uno amne labuntur? quàm juvat aquam ipsam omni crystallo puriorem intueri, & innascentes viridissimas herbulas numerare? quale spectaculum anaticulas, & cygnos videre in mediis undis pendulos, suspensâ caudâ, nitentibus contra profluentem pedibus, prono rostro piscantes? quæ voluptas ne sævæ quidem brumæ inclementiâ unquam eripitur. Quâ enim tempestate nive omnia fœda sunt, & gelu, non modò intra urbem, sed etiam non modico foris spatio, ne secundùm quidem ripas, ut fert mos cæterorum annium, vel in tenuissimas crustas congeliat. Quid quòd eodem tempore peregrinas aves ad se noster amnis allicit, quæ fluviis assuetæ, ubi glaciæ cæteris prohibentur, ad hunc confugiunt? Æstate verò, potestne quicquam illis viridariis, hortis, pomariis, quibus utraque ejus ripa prætexitur, esse formosius? Non enim nunc vacat aquam commemorare totâ propè urbe per canales singulari artificio dispensatam, non salientes fontes, non piscinas, non lavatrinas, non sexcenta commoda. Quòd si collibitum erit egredi urbe, quem non delectet cursum ejus profèqui, modò pleno incedentis amne, modò divisis quasi copiis insulas ambientis, modò vario flexu, & grato errore per virentia prata serpentis, modò limpidissimos rivos amplectentis sinu, modò celeberrimum Romanis annalibus flumen Luppiam, vel cum jactura sui nominis generantis? Ab amne verò cùm discesseris, quocumque conjeceris oculos, quanta, D E U S bone! se ubique ingerit in tam illustri naturæ varietate voluptatum seges? Aspice hunc collem, in quo Paderborna non jacet, sed cubat. potestne fieri quicquam his silvis, quas vertice ostentat, altius, umbrosius, amœnius? num illo deinde modicò declivi, sed latissimè se pandente, & quasi venditante agro venustius?

nustius? Ima denique ejus pars, quæ urbem est complexa, quantis referta est sèpium, pratorum, hortorum, nemorum deliciis, sive in umbra requiescere, sive apricari, sive deambulare, sive honestis ludis indulgere libeat? Nam quæ aliquanto longius ab urbe digressò finitimis locis avocare, & tenere animum possint, nimis longum esset enarrare. Neque enim oppidum aut vicum temerè repereris, cui non proprias quasdam opes, & amœnitates natura indulerit? Quòd si Heliconem gemino fonte insignem Musis poëtæ consecrandum putarunt, quòd illâ venustate plurimum crederent levari curis ingenia, & ad commentandum exacui, quis hanc omnem regionem quæ est sub urbe neget studiis alendis natam? Ut enim ipsam urbem taceam Castaliis fontibus redundantem; ut nihil commemorem de Saltcotena oppido, aquâ, unde sal coquitur, nobili: ut præteram Luppelringam, ubi primum est Luppia caput, habemus in propinquo Alpheum, cujus Arethusam frustra rerum naturalium curiosi jam pridem persequuntur. Nempe non longè à nova-Beca oppido rivus est non modicus, qui terrâ haustus sese, nescio quò oculis mortalium eripit. Mirabilius propè est, quòd duo rivi ad Liechtenavum oppidum confluentes, repenti absorbentur, verum non uno semper meatu, sed prout aquæ impetus tulit. Itaque admodum quinque jam patent; neque dubitat interdum novos aperire. Ad veterem verò Becam in silva fons est, quem Tumultuarium vocant. Is situs est in clivo montis, è quo magna vis ferri & æris eruitur. Non jugiter, sed intervallis fluit, sic ut cum unam circiter horam cursum tenuerit, mox inhibeat, ac tres, aut amplius horas quiescat. Neque tamen stata semper tempora observat, aut vices. est enim cum bis eodem die aquam profundat, est cum semel. interdum ante, interdum longè post meridiem. Ferunt, quoties se ad cursum refert, sibilum per cacumina arborum exaudiri, velut exurgentis venti: & primus prodeuntis impetus, quodam cum murmure fit ac strepitu, quasi se ad cava montis allidentis, & foras erumpere gestientis aquæ. Quòd si non

verc-

vererer otio meo abuti, & tuâ, Princeps Illustrissime, patientiâ, persequerer oratione universam hujus urbis viciniam, atque demonstrarem nullam esse oram, unde non præcipua quædam sive commoda, seu oblectamenta, ad Academiam pertinere possint. At, inquiet fortasse quispiam, hæc loci commoditas atque jucunditas aëris insalubritate corrumpitur. Nego post exortum Academiæ nomen, ullam conditam esse puriore cælo. Procul enim causas omnes habet pestilentium aurarum. Quippe in declivi posita, è longinquo septa jugis montium, quæ vehementiorem vim ventorum defendant, non nisi secundis assiduè perflatur. Itaque cum his proximis superioribus annis tota propè Germania, atque imprimis Westphalia nostra, multi mortales pestiferæ lue consumerentur, ejusque metu necesse esset, gymnasiis clausis, studia literarum intermitteri; Paderborna jam ab anno *xcviii.* supra *md.* inter crebros aliorum luctus & funera, constantem suorum studiorum cursum tenuit. Sed jam mihi videor nonnullorum murmur exaudire, quibus, quæso, Princeps Illustrissime, ut ignoscas. Si enim eorum orationem rectè assequor, non nisi ardenti quodam adversus Celsitud. *v.* studio promoventur. Quid ergo illi? De loco fatentur; de civibus alia omnia. Refricare enim student animum tuum eorum memoriâ bonorum, quæ per hosce triginta annos, Paderbornensibus tuis ostendisti: enumerant cohortationes, monita, decreta, minas: percensent curas, labores, vigilias, sumptus, pericula; cum interea nihil ab iis, quod operæ pretium sit, post tot conatus factum videatur. Itaque principiò negant, qui tot antea tua beneficia sint aspernati, nunc hoc præstantissimum, & cum totius Westphaliæ gloria conjunctum mereri potuisse. Deinde qui in Principem suum optimum, & suæ salutis amantissimum tam fuerint inveniisti & inurbani, valdè verentur, ne semper eos illa morum commoditas deficiat, quam tanta virorum, adolescentumque multitudo omni humanitate perpolita desiderat. Verùm isti primùm, paucorum civium crimen, toti inferunt civitati.

tati. Deinde non vident, quo argumento ipsi utantur ad frangendum, vel infirmandum, hoc eodem te ad suscipiendum usum esse, & jam porrò uti ad persequendum consilium tuum. Quid enim? Sunt nonnulli minus bene morati, audio. nempe, ne rectè quidem de DEO sentire, & loqui didicerunt. Est verò cum pravarum opinionum, tum malorum morum una & eadem mater Ignorantia, quæ si luce salutarium doctrinarum aliquando discussa fuerit, vidisti, Princeps Sapientissime, alios Paderbornam mores, alios cives habituram. Nihil enim ad profligandos errores, nihil ad ferociam domandam, nihil ad rectè componendum civitatis statum doctrinâ præsentius. Lovanium accepimus, cum civilibus armis, atque discordiis complures annos arsisset, essetque civitas mutuis cædibus propè perculsa atque afflicta, Joannem Brabantia Ducem consilium cœpisse extruendæ Academiæ. Quid plura? brevi illa civibus pristinam lenitatem, & concordiam reddidit, quam rerum omnium ubertas, & publica felicitas est consecuta. Non aliam quoque spem, te Duce, atque auctore, Illustrissime Princeps, ingredimur. Spem autem? quasi verò non jam fructus aliquos, certè flosculos tuæ providentiæ teneremus. Tot enim adolescentes Paderbornæ nati, qui in tuis scholis jam inde à prima puericia liberalibus disciplinis, ad omnem honestatem informantur, qui neque sensûs celeritate, neque laboris patientiâ, neque morum facilitate à quoquam exterorum vincisse sustinent, satis declarant, si quid superioribus annis secus accidit, quàm volebas, id non naturæ perversitate, sed salutaris culturæ inopiâ contigisse. Ea jam abs te relata, ac tam insigni accessione cumulata, non modò omnem maculam ac labem, si qua paucorum culpa infedit Paderbornensi nomini, se deleturos profitentur, sed etiam daturos operam, ut vetus illud Paderbornæ elogium, quod ab illo pio viro, quem superius, laudavi, Arnulfi Imperatoris memoriâ litteris mandatum est, quasi postliminiò recuperent. Id ita habet. *Hic*

*Lucus (Paderborna) viris omni nobilitate generis, animique*

h

*semper*

*Lipsius  
Loban. l. 3.  
cap. 1.*

*In Cosmod.  
et at. 6.  
cap. 37.*

*semper insignibus abundabat, ut non esset dubium, quin patria civibus, & cives patriæ congruerent, ac sibi utraque vicissim ornamento forent.*

## CAPUT VIII.

*Nerohaß Illustrissimi Principis Fundatoris domicilium situm esse, ubi olim Nero Claudius Drusus Augusti Privignus Castellum Alisonem contra Sicambros condidit.*

Ceterum, Princeps Illustrissime, circumspicientem me, ac penitus perlustrantem animo hujus Urbis, ut cum Comico loquar, optimitates, & commoda, hæc quoque sedes ac domicilium tuum, in quo majores tui Episcopi Paderbornenses amplius tria retrò secula habitaverunt, ne se silentio præteream admonet. Quanquam enim longulè abest ab Urbe, illinc tamen ipsa, totaque provincia jus petit: illic hujus Academiae moliendæ consilia sunt nata: denique quicquid est in ista arce splendoris hodiè, & magnificentia, id totum abs te habet, qui unus, & illius, & Academiae es conditor. Quare si ad relaxandos contentione studiorum animos, jucundum erit unquam Academicis nostris educere se nonnunquam ex Urbe, & hæc lustrare vel umbrosa silvarum, vel aprica camporum, libenter, opinor, hujus quoque arcis specie è propinquo perfruentur, eosque cum aedificii majestas, locique amœnitas, tum verò præcipuè Tuiillos Optimi Parentis, ac Fundatoris memoria delectabit. Accedet illa quoque liberalis sanè voluptas, & adolescente colente bonarum litterarum longè dignissima, quam capient ex earum recordatione rerum, quæ vetustissimis temporibus hoc ipso loco gestæ memorantur. Est enim hic locus, si quis alius in universâ Germania magna, & veterum Annalibus, & virorum fortium, atque illustrium monumentis celebratus. Quibus de rebus si pauca attigero, veniam, ut spero, dabis, Princeps humanissime, huic meo ornandi honoris Tui studio,